



σ. i. 870. (1-39).

POSTREMOS  
QVORVMDAM GYMNASII CIVIVM  
**SERMONES**  
IN  
**AVDITORIO PVBLICO**  
HABENDOS  
VT  
LITTERARVM  
**PATRONI ET FAVTORES**  
PRAESENTIA SVA CONDECORENT  
EA  
QVA PAR EST  
OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
ROGANT  
**DIRECTOR ET PROFESSORES.**

---

ALTONAE MDCCXLIII.

---

EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI  
OPERIS BVRMESTERIANIS.

XXI

21

POSTREMOS  
QUORUMDAM GYMNASII CIVIVM  
SERMONES  
IN  
AUDITORIO PUBLICO  
HABENDOS  
VT  
LITTERARVM  
PATRONI ET FAVTORES  
PRAESENTIA SVA CONDECORENT  
EA  
QVA PAR EST  
OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
ROGANT  
DIRECTOR ET PROFESSORES  
ALTONAE MDCCXIII  
EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI  
OPERE BARNSTERNIANI

XXI





VI

VERITATIS DEMONSTRATIO OPTIMA  
ERRORVM REFVTATIO.

---



**N**ihil humano generi salutaris, nihilque ad  
ueram felicitatem consequendam accom-  
modari potest ueritate. Hac enim  
si intellectus rite imbutus et instructus  
est, uiget uirtus, fugit uitium omnium malorum fons et  
scaturigo. Auspicatissimam hinc ueritatis lucem tetricis  
errorum nebulis omni fere tempore obductam et obscu-  
ratam esse, inter eas, quae maximae sunt, calamitates iu-

*Errores re-  
fusi audi  
necessitas.*

re meritoque numeratur. Quemadmodum enim splendidum solis iubar densis oppositis nubibus radios suos, quibus fouemur alimurque, emittere prohibetur; ita salutaris ueri cognitio errorum tenebris circumfusa latius progredi, mentesque hominum diuina sua uirtute beare nequit. Aere humidis uaporibus mixto imperita siderum plebs per omnia sacra iurat; solem in coelo non ardere. Tanta quoque falsitatis haud raro uis est, ut omnem ueri pulchritudinem deformasse, ipsamque ueritatem e medio sustulisse tantum non omnibus uisa sit. Et si autem pressa ueritas nunquam opprimitur, sed noua et redintegrata firmitate se semper ipsa erigit; multi tamen suarum partium esse duxerunt, ueritatis causam agere, bellumque erroribus indicere. Et quis est? qui hoc institutum uitio uertat, uel minus laudabile esse adfirmet. Cum ea enim, quae a natura nobis pro nostra aliorumque felicitate demandata est, cura ueritatis defensio arctissime coniungitur. *Qui ueritatem, si potest, non defendit, eandem prodit, grauissimoque se obstringit crimine.*

Nihil inde pulchrius, nihil sapiente homine dignius, quam errores propellere, ueritatemque stabilire.

*Diuersa  
Ratio.*

At enim uero diuersa plane ratione utuntur, quotquot ueritatis defensionem in se suscipiunt. Sunt, qui non tam ueritatis amore, quam ambitione ducti tanquam dictatores pronuntiant; omnibus controuersis, nescio quo, malefano pruritu sese immiscent; suoque nutu omnia componi, et dirigi postulant. Alii furore quodam disputandi perciti non tam ueri, quam suam ipsorum causam agunt, dum conuictis contradicentem onerant, et de rebus minoris momenti tantum saepe strepitum excitant, ut capitis causam agi existimes, cum de lana caprina rixantur. Ipsam denique ueritatis corroborationem,

aem, argumentorum que euidenter demonstrantium delectum multi negligunt, nonnisi de obiectionibus aduersariorum profligandis laborantes. Qua quidem ratione hostem magis lacesunt, quam propulsant; ueritatem nouis haud raro dubiis exponunt, non uindictant.

Quam plurimi eorum, qui Logicae doctrinam tradunt, persuasum sibi habent, ueritatem haud firmam, et inuictam esse, donec dubiis, et maleuorum insultationibus obnoxia sit. His ideo ante omnia occurrendum esse, ueritatique unice consuli existimant, si obiectiones contra eandem formatae, quantum fieri potest, uerbosissime examinentur, et uentilationi sat amplae subiciantur. Copiosissima hinc libri Logici semper habuerunt praecepta disputandi; at paucissima demonstrandi. Tanquam si de erroribus magis, quam de ueritate ipsa laborandum, uel disputatio demonstrationi anteponenda, uel haec omnino leuissimum momentum habere censenda sit. Aliud uisum est hodie uiris de ueritate, eiusque defendendae methodo immortaliter meritis. Demonstrationem enim utramque facere paginam in ueritatis causa contendunt; Ipsam uero obiectionum solutionem, etsi fructum saepe uberrimum habeat, tamen neque requiri ab omnibus oportere, et abesse omnino posse ita, ut sua tamen ueritati firmitas constet. *Male actum iri cum ueritate, si ei non prius accommodetur ad sensus, quam scrupulis omnibus exemptis,* b. HEINECCIUS pronuntiat Elem. Logic. P. I. Cap. III. Sect. III. §. 155.

Videamus ante omnia, quid sit refutatio? *Refutatio est falsitatem propositionis, quam alter pro uera habet, demonstrare.* Ita cel. REVSCHIVS in System. Log. p. 849. rem definit. Duplici autem modo formari eadem potest, uel ita, ut directe propositionem, quae contra-

dictorie opponitur alterius thesi, demonstramus, uel ut ex propositione, quam alter pro uera habet, absurditatem colligamus. Illa Ostensiva, haec Apogogica uocatur. Cum igitur neque contradictorie opposita, neque propositio, quae absque ueritate, uera esse possit, aduersarius his subductis rationibus aut errore deserat, aut contraria simul credat, sequae mentis sanae compotem non esse prodat necesse est. Refutatio ergo ipsa demonstratione absoluitur et ab hac separari nequit. Minutis inhaerendi, per ambages eundi nulla necessitas est. De ueritate enim si conuincitur animus per demonstrationem; euanescent difficultates, dispelluntur nebulae, et nisi pertinacia aduersarii in uitio sit, ad sensum denegari amplius nequit. Non aliud in sole est lucere, aliud tenebras dispellere.

Notatu dignissima sunt uerba LEIBNITII in Dissert. de Conformitate fidei cum ratione §. 26.

*Alia est quaestio, an semper obstricti simus ad examinandas obiectiones, quas aduersarii nobis facere possunt, et an de ueritate nostrae sententiae tamdiu dubitandum, uel, ut uocant, formido oppositi seruanda sit, donec examen hoc institutum fuerit. Aude-rem dicere, quod non. Nam alias ad certitudinem nunquam peruenimus, et semper sub iudice manet conclusio. Et credo, quod eximii Geometris nihil negotii facessant obiectiones IOSEPHI SCALIGERI contra ARCHIMEDEM, aut HOBBSII contra EUCLIDEM, sed secure nituntur demonstrationibus, quibus ueritates superstructae sunt.*

Qui generosum hunc mathematicorum morem laude sua priuet, puto fore neminem, si maximum e-  
molumentum et insignia incrementa, quae quantitatis  
hinc



hinc cepit scientia, perpendimus. Vires animosque non circumferunt hi doctores ad varias, et multiplices ueritati, quae unica est, oppositas argutias. Tempus, quod fat breue est, indignis nugis inuident, et melius collocant. Coniungunt studia et labores potius ad amplificandas egregias artes, earumque thesauros nouis inuentis locupletandos. Quod institutum si reliquarum scientiarum magistri imitarentur, tot atri belli tempestates orbem eruditum non inundarent, fileret strepitus rixarum, conquirerent lites et animorum contentiones.

Quanta enim plerumque mentis exacerbatio et uehementia, quae ueritati ipsi maximum adfert detrimentum, excitatur imprudenti et properato in hostes impetu? Sane qui consequentiarum accumulatione, ac argumentis, quae WOLFIVS (a) uocat, extrinsecis aduersarium ad iram, odium, aliasque animi perturbationes prouocat, pessime ueritatem defendit. Hae enim mentem praestringunt, attentionem, quietamque argumentorum considerationem turbant, et impediunt plane, quo minus uerum a falso discernatur. Maximam deinde molestiam insana dubiorum farrago, eorumque fastidiosa dilucidatio creat. Facilius enim obiectionum cento confuitur, quam dissoluitur. *Neque acuti ingenii signum est, si quis plures sibi aliisque scrupulos mouere, quam eximere possit.* Quid opus uero est obscurissimis anfractibus? cum plana et breuiore uia incedere liceat. Veritatem magis expedit? friuola sophismata, et spinosas ineptias auide excipere, multo labore conscribere, sex centies repetere, copiosa distinctione eoluere, eoluendo acueri, et longis responsionibus amplificare, quam coniunctis uiribus

*Refutandi  
genus no-  
xium et  
molestum.*

(a) In Philosophia Rationali p. m. 725.

ribus eandem firmissimis includere monumentis, hosti-  
umque insultus hoc modo praeuere. *Non delector ego,*  
*inquit cel. BVL FINGERVS resurationibus. Demonstrati-*  
*ones deperire animum non diffiteor; easdemque non multas ma-*  
*gis, quam bonas. Malo caueri obiectionum effectus in lectorum,*  
*auditorumue animis distincta sententiarum expositione, et de-*  
*monstratione, cum fieri potest, dilucida, et plena, quam teri tem-*  
*pus, onerari memoriam, affectari polyhistoriam, et suffocari di-*  
*stinctos rerum conceptus per quascitas obiectionum plurimarum,*  
*atque obiter solutarum condensationes. (b)*

*Fallax ue-*  
*ritatis cri-*  
*terium a*  
*facili du-*  
*biorum so-*  
*lutione de-*  
*sumtum.*

Quodsi illa demum propositio uera habenda sit,  
quae ab omni dubitatione immunis et liberata est; pa-  
rum sane ueri in mundo nostro, ubi plurimi in ueritatis  
impugnatione, quamquam argumentis saepe admodum  
futilibus, tanquam in mustaceo gloriam quaerunt, reli-  
quum erit. *Fallacissimum ueritatis criterium est, quod a facili*  
*dubiorum ei oppositorum solutione desumitur. Quot errores*  
*enim sine ulla haestratione crediti, et a patronis multo*  
*ingenio, magna specie, singulari arte, aut fraude potius*  
*contra obiectiones propugnati sunt? Si error ab inepto*  
*ueri defensore impugnatur, callido aduersario nihil facili-*  
*us est, quam argumenta errori opposita profligare. I-*  
*deone error ueritas erit? Ac si ueritatis causam e con-*  
*trario ille suscipit, qui arduo huic negotio impar est,*  
*et uim aduersiorum depellere nequit. Veritasne error*  
*erit? Quemadmodum igitur nihil ad erroris commen-*  
*dationem facit, si forte sufficienter ab eo, qui imbel-*  
*lem ueritatis patronum agit, extricari nequeat; ita ue-*  
*ritas erroris speciem non habet, etiamsi dubiis prema-*  
*lur, quae hic uel alius defensor soluere nequit. Omnem*

(b) Conf. Commentario Hypothesica de Harmonia Praestabi-  
lita animi et corporis, p. m. 254.

Omniem quidem errorem falsitatis per se ipsum conuinci posse nullum dubium est, neque unquam ueritati argumentum oppositum esse credimus, quod omnino destrui non potuerit; Veruntamen ueritati euidenter demonstratae non officit, si tricae contra eam neantur, quae a nobis in hac rerum imbecillitate constitutis euolui penitus nequeunt. Sufficit ueritatem esse demonstratam, et sua splendere pulchritudine, ut ut nebulae nonnunquam ei offundantur, et hebetioribus oculis exstincta prope modum esse uideatur. Quae cum ita sint, ueritas non pendet a solutione obiectionum, sed a uera firmaque demonstratione, qua nihil prius nihilque antiquius esse debet ei, qui uerum defendere constituit. Ab hac enim sola ita benigne nobis fit, ut certi de ueritate reddamur atque conuicti.

Ne autem omnem, quae a solutione dubiorum proficiscitur, utilitatem tollere uideamur, ita quidem breuiter sententiam declaramus. In omni doctrina a demonstratione ordiendum est, et in eo unice laborandum, ut ueritas inuicto nitatur fundamento. Si quis deinde dubia mouet, difficultates neant, obiectionesque format, aut, si demonstrationis capax est, ad eandem breuissima uia delegandus; aut si frivulus simul et pertinax sit, tanquam ineptus ueri iudex deserendus, modestoque silentio praetermittendus erit. Denique cum argumentis contra ueritatem structis quam uanis et uilibus infirmiores praesertim animi facile a recto tramite seducuntur, eorumque solutione ipsa ueritas illustrior redditur; eam plane omitendam esse non censemus, modo caueatur, ne haec opera ipsum ueritatis momentum contingere uideatur. Ex abundantia igitur erga errantes humanitatis adfectu primo

*Sententiae  
declaratia*

modus detegendus est, quo in errorum scyllam praecipitati sunt, deinde ratio ex ea se emergendi cautiisque eam in posterum effugiendi commonstranda, et ipsi denique errantes accurata rerum illustratione ad perspiciendam erroris uanitatē perducendi sunt.

*Conclusio.*

Ex illis, quae hactenus disseruimus, praesertim apparet, quam male ii doctores, cum iuuenilis aetas scientiis imbuitur, suis partibus satis faciunt, qui omnem doctrinam a sententiarum disidiis, dubiorumque enumeratione ordiuntur, et memoriam magis obiectionum saragine onerant, quam accurata ueri enucleatione, solidaque demonstratione iudicii uim exacuunt. Quantum enim detrimentum adferat, si spinosis difficultatibus obruantur iuuenes, qui firmatos de ueritate sensus nondum habent, dici fere nequit. Pretiosissima res est, si mens ante omnia firma redditur, ne dubiorum fluctibus huc atque illuc inconstans aetas rapiatur. Quam obrem hoc, quod tractandum sumus, argumentum neque leuius et inutile; neque a praesenti, cuius gratia scribimus, instituto omnino abhorrere credimus. Temporis ratio enim postulat, ut ex more nostro aliquot Gymnasia Academici cives sollempniter dimittamus. Quae nostri officii ratione postulat, illorum nil reliqui facimus, ut nostrae curae concediti et solidae eruditionis fundamenta ponant, et laudis ac ornamenti, quod ab elegantiorum litterarum pulchritudine et uitae maxime probitate proficiscitur, participes reddantur. Nihil enim magis in uotis habemus, quam ut ex hoc reipublicae seminario ingenti quotannis multitudine sapientes, et erectioris animi adulescentes optima doctrina apparatus et instructi prodiant. Ex horum autem numero sunt, quod certo nouimus, eximii cives, qui iam sarcinas colligunt, et

emigrationem parant. Vt igitur haec profectio sollempnior sit, suoque publice ultimum dicendi uale officio satisfaciant, quatuor qui domesticis rationibus festinare iubentur, ex singulari spectatissimorum *Scholaracharum* concessione ante lustrationis publicae sollempnia, reliqui posthaec ipso, quod legibus sancitum est, tempore suas recitabunt orationes. **En nomina eorum!**



GERHARDVS DIETRICHVS EBIO

JACOBI EBIONIS Iam optime spet filius, qui per an-  
 num noster fuit, plucide in eundem genere, et laudabiliter in-  
 du-  
 B 2

Ad. d. XXVI. Martii.

## IO. MARTINVS MVLLERVS.

Wernigerodanus.

Qui a primis inde Paedagogii et Gymnafii nostri au-  
spiciis tum in linguarum studio, tum in scientiis non sine  
laude diligentiae, et probitatis apud nos uersatus est, prae-  
ter tres orationes publicas semel in publico conflictu oppo-  
nentis uices sustinuit, priuatis exercitiis saepius maxima  
cum ingenii comprobatione interfuit, de *Variis Graecorum et  
Romanorum corporis exercitiis* ultima uerba faciet.

## NICOLAVS ESCHERMANNVS.

Brunspolitanus.

Sex mensibus in Paedagogii primo ordine maxima cum  
industria peractis ante annum Gymnafii ciuibus adscriptus est.  
Singulari uitae tranquillitate, morum lenitate, laborisque  
patientia omnibus se commendauit, et uariis speciminibus  
eximios plane, quos nunquam interrupta diligentia fecit,  
profectus commonstrauit, publicum grati animi testimoni-  
um editurus de *praestantia litterarum in Theologia* dicet.

## GERHARDVS DIETERICVS EBIO

Tatingo Eiderostadiensis.

IACOBI EBIONIS Icti optimaе spei filius, qui per an-  
num, quo noster fuit, placido uiuendi genere, et laudabili in-  
du-

dustra, qua Theologiae sacra praesertim cum Philosophiae disciplinis coniunxit maximam sibi laudem comparavit. Saepius ingenii vires priuatim disputando exercuit, semel in publico auditorio de historiae sacrae incrementis dixit, iam uero de *Gergesenismo Poetico* agens ultimum Teutonico carmine canet uale.

## IACOBVS FREESE.

Marfensis Dithmarfus.

Postquam in primo Paedagogii ordine per aliquot menses studium et diligentiam suam probauit, in Gymnasium receptus est, et semestri tempore tantum in eo consumto ab hac statione euocatur, bona igitur cum gratia a nobis discedet, gratique animi partibus satis faciet latina oratione, qua *Primos purioris doctrinae in Dithmarsia Restauratores* promeritis laudibus extollit.



Ad d. IV. April.

## MEINERTVS HENRICVS ZINGELMANNVS.

Altonanus.

In hac ciuitate natus a primis pueritiae annis fidelissimorum Altonensium praeceptorum cura et institutione magno cum emolumento usus est. Gymnasio autem auspiciatissime instituto sibi maxime hanc felicitatem datam ratus, ut in patria ciuitate omnium scientiarum et disciplinarum ambitus si non complecti, cognoscere tamen aut consequi posset. Renouato hinc ardore per quatuor annos in noua Musarum sede litteras coluit. In quatuor disputationibus publicis opponentis munere uiriliter functus patriam ciuitatem cui et uitam debet, et quod maximum uitae ornamentum est, scientiam, sermone uernaculo de *Nimia per secundaria studia distractione Theologiae noxia* ualere iugebit.

## LVDOVICVS SCHVTZE.

Wernigerodanus.

Viri maxime Reuerendi EVSTASII FRIDERICI SCHVTZII Compastoris Altonani meritissimi filius, de quo ob uitam inter nos innocenter actam, ingenii praestantiam et industriam probatam non nisi optima auguramur. Variarum disciplinarum doctrina se imbui apud nos laudabiliter curauit. Linguarum in primis sine quibus in tenebris oberrant, quotquot ad sacra studia animum adpellunt, cognitionem ita sibi curae cordique esse uoluit, ut plurimos commilitonum diligentia uicerit, paucos aequales habuerit.



buerit. Praeter complures orationes recitatas saepius in arenam disputatoriam magno cum adplausu descendit. His igitur laboribus feliciter peractis ultimam adiunget operam de *Christianorum coetu per cruentas uexationes non immunito sed aucto* dicturus.

### CHRISTIANVS ALBERTVS MARTENSEN.

Holsatus.

Per biennium, quod in Regio Gymnasio confecit, tum singulari, qua in scientiarum studio usus est, attentione et constantia, tum praestanti ingenii felicitate, morumque honestate omnium fauorem et benevolentiam sibi conciliauit, ut Parenti per quam Genoroso MATTHIAE MARTENSENIO, qui *Potentissimo Regi Daniae* a consiliis Cancellariae est, de filio praeclarae spei maxime gratulandum sit. Priuatis exercitationibus summa alacritate semper interfuit ab oratione publica autem iusto impedimento prohibetur.

### GEBHARDVS CHRISTIANVS KVTEMEYER.

Suerino-Megapolitanus.

Optime formatam, quam ad nos ante annum e disciplina paterna Viri consultissimi et celeberrimi GEBHARDI CHRISTOPHORI KVTEMEYERI I. V. D. attulit mentem in hac bonae mentis fede uario doctrinae genere insigniter coluit. Nemini molestiae, omnibus ob mores bene compositos delectationi fuit. Ingenii uires bis publica oppositione periclitatus est; Semel orationem in publica conuentione recitauit, cui addet alteram et ultimam, qua *Merita Heineccii in Iurisprudentiam* enarrabit.

His

**H**is igitur sermonibus, ut studiorum Patroni et Fautores pro sua in nos uoluntate frequentes intersint, neque tempus male locasse existiment, quod ad iuuentutem in spem Patriae excrescentem fauore suo inflammandam, si per grauiora negotia fieri potest, impenditur officiose et humaniter rogantur. Vobis uero O! Ciuēs Optimi, qui ultima inter nos defungimini opera hanc studiorum mutationem, quod ex animo precamur, ipse DEVS felicem faustam et fortunatam esse atque in publicam salutem olim cedere iubeat. Continuet et perpetuet beneficia in Vos cumulata, et noua atque maiora in dies iis adiiciat incrementa. Fauentibus uentis iter, quod paratis, e Gymnasio nostro suscipite, sed bonae disciplinae consuetudini ac uirtuti nunquam nuntium remittite. P. P. e Gymnasio Regio MDCCXLIII. Nono Kalend. Aprilis.



01 A 6519

ULB Halle 3  
002 928 736



Stk. 7 = Zschr.


5b.

Publ. ✓

K







POSTREMOS  
QVORVMDAM GYMNASII CIVIVM  
**SERMONES**  
IN  
**AVDITORIO PVBLICO**  
HABENDOS  
VT  
LITTERARVM  
**PATRONI ET FAVTORES**  
PRAESENTIA SVA CONDECORENT  
EA  
QVA PAR EST  
OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
ROGANT  
**DIRECTOR ET PROFESSORES.**

ALTONAE MDCCXLIII.

EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI  
OPERIS BVRMESTERIANIS.

XXI

21